

dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam; & in iudicium non venit, sed transit à morte in vitam. O Clementiam! O Misericordiam! Deus ut hominem ad se attrahat, jurat, & adhuc homo dubitat. O præposteram hominis pietatem! O cœlesti fulmine profligandam impietatem! Hæc enim Deum perjurum intendit facere, nedum mendacem ostendere. Nam eo promittente dubitat: eo jurante angitur! Cui nec opus erat juramento. Deo enim sine juramento credi oportet. Nec eius fidelitas atq; veracitas eum jurare patitur. Si enim gravi viro narranti, aut promittenti sine juramento credendum est, multo magis DEO promittenti sine juramento credamus, necesse est. Juxta illud Johannis Apostoli. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est.* Et tamen benignissimus Pater hominum consuetudini condescendens, qui aliquando promissionem juramento confirmare, atq; astringere solent: nec est intuitus suam dignitatem, juravit, ut abundantius, teste Apostolo, immutabilem atq; etiam immobilitatem sui consilij hæredibus ostenderet. Ostenderat enim abundanter per promissionem, hanc sui consilij immobilitatem: abundantius autem per juramentum declaravit. *Ut per duas res immobiles (promissionem videlicet & juramentum) quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem. Quam sicut anchoram habemus anime tutam ac firmam, & incedentem usq; ad interiora velaminis.* Fulmina hæc sunt contra adversarios Gratia certitudinem negantes, atque animas in obscuras turbulentissimarum fluctuationum tenebras conjicientes. Ait enim Apostolus, ut nos, quibus facta est promissio, atq; per juramentum attestatio, fortissimum habeamus solatium: non autem, ut, qualecunq; solatium. Hæc est (Sapientissimi Auditores,) illa fiducia, quæ fidelis cœlestia speculatur, quæq; tanquam in tersissimo speculo omnes hostium insidias circumspicit atque avertit. Terrena autem omnia respicit & despicit. Hæc, quemadmodum anchora in littore fixa contra ventorum flatus navem tenet, ne mergatur: ita fidelis justificatus ne succumbat contra persecutorum ac tentationum impetus, firmiter tenetur ac firmatur. Hæc denique fretus justificatus in iudicium æternæ condemnationis, & commertæ mortis non venit: sed jam ante iudicij tempus à mortis æternæ obligatione ad vitam æternam transivit. Quam justificatus in præsentem quidem vitam consequitur. Quia eam habere dicitur. Ait enim Dominus Jesus: *qui credit ei, qui misit me, habet vitam æternam.* Inchoativè quippe habet fidelis justificatus in se vitam æternam manentem, quæ in Dei cognitione, atque eius adoptione consistit. Quapropter quod dubitet, quod angatur, ei non relinquitur. Omnis enim dubitatio tollitur, omne iter planè anxietati prohibetur. Quia Deus confirmationis atq; etiam juramenti verbo utitur. Proindè pulchrè S. Hieronymus ait: *Idcirco jurat DEUS, ut, si non credimus DEO promittenti, credamus saltem pro salute nostra juranti.*

Ecclesiastici, (Sapientissimi Auditores) singularem illam admonitionem, qua ut eos, qui ante nos fuerunt, intueamur hortatur, silentio prætereundam non esse, existimavi: *Respicite, inquit, Filij nationes hominum: & scite, quia nullus speravit in Domino & confusus est. Quis enim permansit in mandatis ejus, & derelictus est, aut quis invocavit Deum & despexit illum? Quasi dicat, nemo fideliter Dominum invocavit, humiliterque eum deprecatus est, & despexit illum. Quia omnis, qui invocaverit nomen Domini salvus erit. Nemo speravit &*

1. Job. 5.

v. 9.

Ebr. 6.v.

17. 18. 19.

Eccles. 2.

v. 12. 13.

Joel. 2.v.

32.